

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Sablé, Nr. 9**

Noverint presentes et posterii nostri Majoris videlicet monasterii monachi quod Rotbertus de Sablolo et Herbertus de Suusa et Albericus Vicarius donaverint beato Martino et monachis ejus unum molendinum super Sartam, in capite escluse, juxta burgum monachorum sancti Martini, solutum et quietum jure perpetuo possidendum, et habuerunt pro hoc quasi pro caritate de denariis Sancti Martini Rotbertus XX solidos et Herbertus XX et Albericus unum mulum. Hoc viderunt et audierunt Johannes carpentarius, Fulco filius Ulrici, Rainaldus cocus, Adelelmus boverius, Bernerius camerarius. Hoc donum factum est anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo, tempore Gausfredi prioris. Hoc quoque concessit uxor Alberici Vicarii supranominati, nomine Nivea, et habuit inde V solidos testibus supranominatis.